

ante Christum missos, filios fuisse adoptivos, Christum vero vocari proprium Filium, ut Paul. dixit, ad Rom. 8. Unde Ambros., lib. 4 de Fid., c. 9: *Nos, inquit, filii per adoptionem, ille per naturam.* Idem, lib. de Incarnat. dom. sacram., c. 8; August., ep. 120, c. 4, et lib. contra Secundinum Manichæum, c. 5, et lib. 3 contra Faust., cap. 3, ubi illa ratione utitur, quod filius adoptivus prius est quam sit filius, quam infra tractabimus; et lib. 1 de Consensu Evangelist., c. 3, dicit Paulum fuisse usum nomine adoptionis, ut inter Christum et nos distinctionem poneret. Idem docet Irenæ., lib. 3 contra hæres., c. 21, in verbis illis: *Propter hoc enim Verbum Dei, homo, et qui Filius Dei est, filius hominis factus est, commistus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei.* Ubi Feuardentius intellexit, Irenæum sensisse contrarium, scilicet Christum juxta humanam naturam adoptione evasisse filium Dei, unde ipse illum pie interpretatur, ut per adoptionem gratiam unionis intelligat. Ego vero aliter locum Irenæi interpretandum existimo, ut *adoptio*, non ad ipsum Christum, sed ad nos referatur. Quod (ut opinor) facile probabitur consideranti sincere et attente totum Irenæi contextum. Paulo enim superius tractans illa verba: *Ego dixi: Dii estis, et filii Altissimi omnes, vos autem sicut homines moriemini*, ait: *Ad eos dicit, qui non recipiunt munus adoptionis, sed contemnunt incarnationem*; et infra: *Ingrati existentes Verbo Dei, quod incarnatum est, propter ipsos*; et subdit: *Propter hoc enim Verbum Dei, homo, et qui Filius Dei, filius hominis factus est, commistus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens, fiat filius Dei. Non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, usque ad illud, ut filiorum adoptionem perciperemus.* In quibus verbis primum considerandum est, non solum non vocare Irenæum incarnationem nomine adoptionis, quin potius illas distinguere, cum dicit eos, qui incarnationem negant, non percipere adoptionem, *quia ingrati sunt Verbo, quod incarnatum est propter ipsos.* Deinde ponderanda est illa causalis nota, *propter hoc enim, etc.*; cum enim dixisset Verbum fuisse incarnatum propter nos, id est, ut nos consequamur adoptionem filiorum, causam hujus reddit dicens: *Propter hoc enim qui Filius Dei est, Filius hominis factus est*; cum ergo concludit, *ut adoptionem percipiens, fiat filius Dei*, non est sensus, Filium Dei factum esse hominem, ut ipsemet Christus adoptionem

percipiens, sed indefinite, ut is, qui adoptionem recipit (quicumque ille sit), fiat filius Dei; hoc enim sensu causalis hæc consonat propositioni immediate præcedenti, cui adjungitur; et verba ipsa optime patiuntur hunc sensum, sine ulla extorsione aut difficultate; in alio vero sensu causalis illa non recte conjungitur cum præcedentibus, et continet sensum per se absurdissimum, tum quia nullus unquam dixit, Verbum Dei fuisse incarnatum, ut Christus ipse adoptione fieret filius Dei, sed ut alios homines faceret filios Dei, ut plane idem Irenæus ibidem intendit; tum etiam quia illa locutio ad Christum relata continet sensum erroneum, quia neque humanitas Christi est facta filius Dei per adoptionem, etiam si nomine adoptionis incarnationem intelligamus, sed est unita Filio Dei; neque etiam hic homo Christus factus est Filius Dei, sed potius Filius Dei factus est Christus, ut patet ex dictis supra, q. 16. Tercio, constat idem sensus ex verbis sequentibus; cum enim dixisset Filium Dei factum esse filium hominis, ut qui percipit adoptionem fiat filius Dei, subdit aliam causalem: *Non enim poteramus aliter immortalitatem accipere, nisi prius immortalitas fieret quod et nos, ut adoptionem filiorum perciperemus*; ergo, sicut in hac ratione et causa reddenda, loquitur de adoptione nostra, non Christi, ita etiam in proxime præcedente, ad quam hæc refertur.

3. Non omittam autem advertere, hæc et similia testimonia, quæ ex sacra Scriptura et Patribus ad hanc sententiam probandam adduci solent, non eam satis convincere in sensu a nobis intento, sed solum in eo quo Christus homo, et ut homo ex parte suppositi, sed potius ut hic homo, dicitur Deus, et Filius Dei naturalis, ut ex dicendis in hac et sequenti sectione constabit. Adducuntur autem hæc testimonia, ut ostendatur Patres non agnovisse in Christo aliam filiationem, nisi naturalem, atque adeo vel ut hominem, non esse dicendum Filium Dei, vel dicendum esse Filium naturalem, et non adoptivum.

4. Ad probandum hanc veritatem D. Thom. hac utitur ratione in præsentis articulo. Persona Christi est naturalis Filius Dei; ergo Christus non potest esse filius adoptivus. Probatur consequentia, quia filiatio convenit personæ, non autem naturæ; et ideo, si de illa dicitur filiatio simpliciter et per se, non potest de eadem dici filiatio per participationem: *Quia non recipitur* (inquit) *aliquid dici parti-*

*cipative, quod per se dicitur.* Quæ ratio optime probat, Christum absolute et simpliciter non posse dici filium adoptivum, sed naturalem, quod est certissimum; non tamen videtur convincere, posita determinatione, *in quantum homo*, non posse adoptivum appellari, quia hoc modo optime recipitur aliquid cum aliqua determinatione dici participative, quod simpliciter per se dicitur; ut Christus simpliciter est ens per essentiam, quia est Deus; et tamen Christus in quantum homo recte dicitur ens per participationem, quia ut sic est creatura. Idem ergo erit in filiatione per se, seu naturali, et per participationem, seu adoptiva. Neque ad hoc videtur referre, quod filiatio sit proprietas personæ, nam etiam Christus ut homo est persona humana, scilicet, ex persona divina, et humanitate composita (ut supra explicatum est); ergo ut sic erit capax relationis filiationis divinæ per participationem; ergo et adoptionis. Nec modo disputo an hæc relatio sit rationis, vel realis, hæc enim controversia hoc loco necessaria non est, quia non pendet ex illa veritas conclusionis, quidquid aliqui D. Thomæ expositores conentur. Quia non est de ratione adoptionis ut includat relationem realem, et deinde quia (ut supra dicebam) non omnis realis relatio repugnat Christo, quia non oportet ut inhæreat ipsi personæ secundum se, sed solum mediante natura, ita tamen ut denominet personam; et hoc modo non videtur inconveniens ut eadem persona, quæ simpliciter denominatur Filius per se et perfectissime, in quantum homo denominetur secundum quid, et per participationem; sicut idem Christus absolute est beatus per essentiam, et in quantum homo est beatus per participationem.

5. Ut ergo huic rationi D. Thomæ vim et efficaciam tribuamus, addamus rationem aliam, qua Adrianus Papa et Concilium Francoford. utuntur, et esse debet proprium fundamentum hujus veritatis; nam de ratione adoptionis est, ut extranea persona acceptetur liberaliter ad hæreditatem; sed nihil horum habet locum in Christo, etiam ut homine. Nam primo Christus, ut homo, non est persona extranea, quia non est alia persona a persona Filii Dei naturalis, quia etiam si sumatur Christus ut est persona composita, intrinsece includit filiationem Dei naturalem, per quam substituitur in esse hujus personæ, et ideo sub nulla ratione potest dici neque intelligi, neque in duratione temporis, neque in aliquo signo naturæ, quod sit persona aliena,

seu extranea a divina filiatione, et ideo ex hoc principio non est capax adoptionis. Neque etiam ex alio, quia hic homo Christus non acceptatur ad divinam hæreditatem suscipiendam in humanitate sua acceptance mere extrinseca, et omnino liberali, sed acceptance quasi intrinseca et connaturali, ac debita ratione unionis; ergo ex omni capite est incapax adoptionis.

6. *Responsio.* — Respondent aliqui, hac ratione ad summum probari Christum simpliciter non posse vere dici filium adoptivum, non vero cum determinatione in quantum homo, quia humanitas ex se extranea est. Unde confirmatur, nam saltem hac ratione non probatur, humanitatem non esse adoptatam; ergo nec quod Christus secundum illam non sit adoptatus. Respondetur ad priorem objectionem negando assumptum; ad probationem (quod humanitas secundum se est extranea) dicitur, id nihil referre, quia ratio non assumit, ad adoptionem requiri quod natura sit extranea, sed quod persona sit extranea; idque probare non oportet, quia ex ipso nomine adoptionis et ex conditionibus ejus supra explicatis et probatis in Commentariis articulo D. Thomæ, probatum ac declaratum est. Quantumvis autem natura extranea sit, non reddit extraneam personam assumptam, quod recte indicavit Adrianus, illis verbis: *Quasi alienus aliquando a Patre fuerit, aut per carnis, extraneus ab eo factus, assumptionem.* Quin potius per assumptionem ipsa humanitas facta est quodammodo propria, et filiatio naturalis ita est illi intime et substantialiter conjuncta, ut composita persona inde resultans, etiam ut talis est, non possit extranea censi; imo illa ut sic ex propriis, et ab intrinseco jus habeat ad divinam hæreditatem etiam in assumpta natura, non ratione illius, sed ratione personæ cui unitur; ergo ex eadem radice provenit quod hic homo, etiam ut homo, non possit filius esse adoptivus, quantumvis assumpta natura secundum se considerata extranea esse videatur. Ad posteriorem objectionem, quidquid sit de antecedente, de quo statim dicam, nego consequentiam, quia Christus, ut homo, et humanitas, non sunt omnino idem, ut per se constat, quia Christus, addita etiam illa determinatione, includit suppositum quod non includit humanitas; unde ille dici potest filius, non autem humanitas; nunc vero non disputamus de humanitate, de qua statim dicturi sumus, sed de Christo ut homine; et ideo nil

refert quod ratio facta de humanitate non convincat; neque enim necesse est omnia simul et eadem ratione probari. Neque argumentum a Christo ut homine ad humanitatem, neque e contrario ab humanitate ad Christum ut hominem, est formale; non enim sequitur: Humanitas est unita; ergo Christus ut homo est unitus; nec sequitur: Humanitati est facta gratia; ergo Christo ut homini est facta gratia, ut sæpe est in superioribus dictum; an vero ratione materiæ teneat in adoptione illa consecutio, infra declarabo; ubi etiam ostendam, rationem hanc, servata proportionem, etiam in humanitate habere locum, ut ab illa excludatur adoptio.

7. *Discursus S. Thomæ declaratur.* — Ex hac vero ratione sic exposita, quæ non solum efficax et fundamentalis est, sed in re etiam unica, ut existimo, colligo imprimis quo sensu procedere hoc loco possit ratio D. Thomæ, ut recte probet. Quod enim ait, filiationem esse personæ proprietatem, non est sensus filiationem inesse soli supposito (ut quidam ejus expositores falso contendunt), et non etiam naturæ, maxime quando illa natura non est intrinseca et essentialis tali supposito; in hoc enim sensu propositio illa, nec in theologia, neque in philosophia habet aliquod fundamentum, neque veritatem habere potest, quia non solum Verbum secundum se est persona, sed etiam prout conjunctum humanitati, ita ut hoc compositum vera persona substantialis sit, quæ, ut composita est, intrinsece includit hanc naturam assumptam et hanc personam seu subsistentiam; ergo, licet filiatio sit proprietas personæ, poterit per se primo convenire huic personæ compositæ ut sic; ergo poterit esse non tantum in persona secundum se, sed etiam in natura, vel potius in composito ex utraque; sicut etiam generari aut concipi convenit personæ potius quam naturæ, quamvis non persona secundum se concipiatur, sed persona composita ex subsistentia et natura; et ideo relatio filii, quam Christus habet ad matrem, licet personæ conveniat, non tamen Verbo secundum se, ita ut illi soli immediate insit, aut inesse concipiatur; esset enim falsa conceptio; nam, sicut Verbum secundum se non generatur ex matre, sed ratione humanæ naturæ, seu compositum ex Verbo et humanitate, ita neque Verbum secundum se refertur, sed ut componit unam personam cum humanitate; ergo nec Verbo secundum se inest relatio filiationis ad matrem, sed media humanitate, vel qua-

tenus cum illa componit unam personam. Idem ergo erit de filiatione ad Deum, quæ Christus ut homo dicitur Filius Dei; nam hæc etiam non convenit Verbo secundum se, nec proxime fundatur in æterna generatione, sed in gratia unionis facta humanitati. Dicitur ergo filiatio convenire personæ, tum quia illam proprie denominat, tum quia vel illi secundum se convenit, si sit simplicissima persona, vel non inest naturæ nisi ut subsistenti et determinatæ in aliqua persona, si sit persona composita, ut latius declarabimus in seq. tomo, q. 35.

8. Ex hac autem propositione sic intellecta, colligitur ulterius, quantum ad præsentem quæstionem attinet, filiationem ad Deum, quæ Christo ut homini convenit, non convenire humanitati proprie et secundum se, sed per se primo convenire huic personæ compositæ, seu Verbo ut subsistenti in humanitate, seu humanitati ut sustentatæ a Verbo. Unde tandem concluditur, illam filiationem non posse habere proprietatem repugnantem dignitati Verbi, cum illud maxime respiciat, licet non nudum, sed vestitum humanitate, et in illo proxime fundetur, licet non secundum se, sed ut communicato humanitati. Ad hanc autem dignitatem Verbi spectat, ut nullo modo possit censi extranea vel aliena persona, non solum in propria natura, verum etiam nec in aliena, quam per assumptionem suam fecit, et faciendo suam, intrinsece et per se fecit illi debitam divinam hereditatem, per se ipsum deificando talem naturam; ac propterea filiatio talis personæ, etiam in assumpta natura, non potest esse adoptiva, quæ alienam et extraneam personam respicit, et negationem connaturalis filiationis includit.

9. Et hoc sensu accommodari in præsentem debet aliud principium D. Thomæ, scilicet: *Non recipitur aliquid dici participative, quod per se dicitur*; est enim hoc maxime verum, quando prædicatum per participationem dictum includit imperfectionem intrinsece repugnantem ei quod est per se tale, eamque imperfectionem postulat in persona secundum se; ut non potest dici Christus, etiam ut homo, persona creata, aut finita, propter dictam causam; hujusmodi autem est filiatio adoptiva, eo quod alienam et extraneam personam requirat; et ideo non potest Christo attribui, etiam ut homini. Existimo ergo, discursum hunc in hoc sensu esse efficacem, et esse admodum conformem intentioni D. Thomæ, nec posse alia via et modo vim et efficaciam ha-

bere. Nam, quod aliqui aiunt, fundari in hoc quod eidem supposito duplex filiatio convenire non potest, improbable est; nam, si absolute intelligatur, plane est falsum, et contra eundem D. Thomæ infra, q. 35, art. 5, ut patet in filiatione divina et humana ejusdem Christi; imo in ipsa relatione filii naturalis idem constat, ut amplius infra patebit. Si vero non absolute, sed de duplici relatione reali intelligatur, est impertinens; nihil enim refert ad filiationem adoptivam; sufficit enim quod sit relatio rationis; imo ad aliquam filiationem naturalem id sufficit, ut jam dicam. Non ergo ex sola unitate suppositi excludit D. Thomas duplicem illam filiationem, sed ex speciali imperfectione et negatione, quam filiatio adoptiva includit, prout a nobis declaratum est.

10. *Aliorum expositio.* — Alii vero addunt, quod, licet relatio filiationis possit convenire supposito, mediante natura assumpta, non tamen relatio filiationis divinæ fundata in gratia sanctificante, quia gratia est tanquam nova natura adveniens præexistenti supposito, et ab humanitate distincta; ergo si aliqua relatio filiationis ex tali gratia resultaret, non posset convenire Verbo media humanitate; ergo debet convenire ipsi Verbo immediate et secundum se, quod repugnat. Prima consequentia declaratur, quia, quando eidem supposito conveniunt duæ naturæ, et una præsupponitur in ipso, et alia de novo ei unitur per novam actionem vel generationem, si aliqua relatio filiationis inde resultat, non potest convenire tali supposito media natura, quæ in eo supponebatur, sed media illa quæ de novo ei advenit; ut si Angelus fieret homo, et nasceretur ex muliere, filiatio non posset ei convenire media natura quæ in eo supponebatur, sed media humana, quæ illi de novo advenit. Sic ergo, cum humanitas et gratia sint quasi duæ naturæ, et humanitas supponatur in persona Verbi, relatio filiationis, quæ ex gratia resultaret, non posset illi convenire media humanitate. Sed hæc ratio inefficax est, quia illud principium, in quo fundatur, verum habet in naturis, quæ non sunt per se subordinatæ, ita ut una non conjungatur supposito, mediante alia, sed utraque immediate, ut sunt natura humana et angelica in dicto exemplo, vel si utraque uniretur Verbo; at vero gratia et humanitas non sunt hujusmodi, nam gratia non potest uniri supposito, nisi mediante humanitate; imo neque immediatius neque alia ratione est in

Verbo, nisi quia est in humanitate conjuncta Verbo; ergo quamvis ex infusione talis gratiæ resultaret aliqua relatio, illa non conveniret Verbo secundum se, sed media humanitate, ut gratia affecta; ergo ex hac parte non repugnaret esse talis relatio.

11. Respondent quod, licet gratia, ut accidens est, non possit esse in Verbo, nisi media humanitate, tamen, quatenus habet quemdam modum formæ substantialis, quia confert subjecto, in quo recipitur, divinæ naturæ participationem, ut sic immediate refertur ad suppositum; et ideo etiam in Christo sub ea ratione immediate refertur ad suppositum Verbi; relatio autem filiationis adoptivæ consequitur gratiam sub hac posteriori ratione, et non sub priori; et ideo in Christo esse aut resultare non potest, quia oporteret immediate convenire supposito secundum se. Sed non est probabilior hic discursus quam præcedens. Primo quidem, quia illa duplex consideratio gratiæ est conficta, quia non tractamus nisi de hac gratia in specie qua nunc sanctificamur, et filii Dei efficitur; hæc autem essentialiter est accidens, et essentialiter supponit naturam intellectualem creatam, in qua recipiatur. Imo, hoc ipso quod hæc gratia est participatio divinæ naturæ, et quodammodo ejusdem seu divini ordinis, ita essentialiter postulat esse accidens, ut non possit esse substantialis natura. Secundo, quia illa forma gratiæ, quatenus sanctificat, et quodammodo deificat, habet supremam rationem formæ, quæ in ea considerari potest, sive vocetur accidentaliter, sive aliquo modo substantialis, et tamen, ut sic, non potest esse in Christo nisi media humanitate; ergo, etiam si inde resultaret relatio, non conveniret Verbo, nisi media humanitate. Tertio, etiam si totus ille discursus admittatur, non potest ex eo concludi, illam relationem immediate convenire Verbo secundum se, sed mediante ipsamet gratia; nam omnis relatio filiationis de novo conveniens supposito convenit illi media natura, quæ de novo illi advenit, ut patet in exemplo de Angelo supra posito, et in filiatione humana Verbi Dei; sed in præsentem, gratia, ut est quædam natura habens (ut ipsi aiunt) modum substantiæ, de novo advenit Verbo; ergo, licet inde resultet relatio, illa non conveniet immediate Verbo, sed mediante ipsamet gratia. Et quia gratia ratione suæ entitatis accidentalis non potest conjungi Verbo nisi media humanitate, vel alia natura intellectuali, ideo nec fundare po-

test illam relationem, nisi prout inhæret eidem naturæ.

12. Confirmatur ac declaratur, nam, si fingamus (quod aliqui putant esse possibile) dari gratiam creatam substantialem, seu, quod idem est, dari substantiam supernaturalem natura sua gratam, eamque assumi a Verbo, tunc, si quæ relatio filiationis ad Deum resultaret ex illa unione ratione talis naturæ, non conveniret Verbo immediate et secundum se, sed media tali natura; ergo, etiam si nunc in Christo resultet relatio ratione gratiæ habitualis, illa non conveniet Verbo, nisi mediante gratia, eo modo quo de facto est, id est, prout illi conjungitur media humanitate seu (quod idem est) media humanitate ut tali gratia affecta. Consequentia est evidens a paritate rationis, nam, sicut in prædicto casu illa supernaturalis natura substantialis esset grata duplici titulo, scilicet, et per se ratione suæ naturæ, et ratione unionis, ita humanitas nunc est grata hoc duplici titulo, et gratia, quæ nunc est accidentalis, non conjungitur huic supposito, nisi prout gratificat hanc naturam. Antecedens autem est evidens, quia tunc illa natura per se et ex vi sua non conjungitur supposito, mediante alia natura, sed immediate; ergo relatio inde resultans non conveniret supposito, nisi mediante tali natura, sicut nunc relatio filiationis humanæ non convenit Verbo, nisi mediante humanitate; et relatio filiationis metaphoricæ creaturæ ad Deum non convenit Christo ut homini, nisi mediante humanitate. Igitur ex hac parte non repugnat, hujusmodi relationem resultare ex infusione gratiæ in humana Christi natura; et hac ratione dixi sectione præcedente, secundum rem eandem relationem ad Deum convenire Christo homini, ut sanctificato per gratiam accidentalem, quæ convenit aliis hominibus justis, tamen in Christo non habere rationem filiationis, quia infusio gratiæ accidentalis respectu Christi non habet rationem spiritualis generationis, sed productionis cujusdam proprietatis consequentis priorem et substantialem sanctificationem. Neque, si esset filiatio, esset filiatio adoptiva, sed potius naturalis, non quidem perfectissima et per essentiam, sed per participationem, nihilominus tamen in suo gradu naturalis et non adoptiva, quia gratia est Christo homini connaturalis; sicut supra dicebam, si daretur substantia supernaturalis per se grata, futuram filium Dei tam perfecte vel perfectius, quam sint nunc justificati per gra-

tiam, ut per se constat; et tamen in eo gradu non esset adoptivus, sed naturalis Dei filius, quia non conveniret illi per donum aliquod gratis superadditum naturæ, sed per se et ex natura sua. Sicut nunc filiatio illa metaphorica, qua Angelus per naturam, vel quælibet alia creatura dicitur filius Dei ratione creationis, non est filiatio adoptiva, sed naturalis in suo ordine. Quocirca (prosequendo hypothese[m] supra factam), si fingeremus Verbum assumere substantialem naturam supernaturalem, persona composita inde resultans, ut esset talis substantia, esset filius Dei, non tantum ob gratiam unionis, sed etiam per conditionem propriam talis naturæ, quam per se primo haberet ex vi suæ productionis et non tantum ratione unionis; tamen sub utraque ratione esset filius naturalis, et non adoptivus, quia utraque filiatio oriretur ex principio intrinseco substantiali et connaturali. Necessario ergo reducenda est ratio divi Thomæ, ut sit efficax, ad illud principium supra positum, et ad imperfectionem propriam et quasi specificam, seu negationem quam dicit filiatio adoptiva, ratione cujus repugnat eidem convenire, cui convenit filiatio naturalis.

13. *Aliæ rationes examinantur.* — *Prima refellitur.* — Secundo, infero ex dictis quam vim habeant rationes aliæ, quæ ad propositam sententiam probandam ab aliis Theologis afferri solent; omnes enim aut efficaces non sunt, aut ad eam quam proposuimus revocantur. Prima est eorum qui putant, de ratione filii adoptivi esse, ut prius tempore sit quam sit filius. Quod videntur sensisse Magister et Alensis citati in comment. articuli. Sed ibi ostendi, eam conditionem non esse necessariam.

14. *Secunda declaratur et defenditur.* — Secunda ratio, quæ præcedentem limitat, est, quia saltem necesse est ut is, qui est filius adoptivus, prius natura sit quam sit filius; sed hoc non convenit Christo; ergo. Ita Richardus. Sed objicit Scotus, quia humanitas Christi etiam prius natura extitit quam esset grata Deo, seu accepta ad hæreditatem Dei. Richardus respondet, humanitatem illam prius natura fuisse gratam quam Verbo unitam, et ita Christum in nullo signo naturæ prius fuisse compositum ex humanitate, quam fuerit gratus et filius. Sed hoc non recte dictum est, tum quia supponit falsum, quia gratia habitualis non antecessit ordine naturæ unionem, sed potius subsecuta est; tum etiam

quia (ut recte urget Scotus) ipsa humanitas prius natura extitit, quam illa gratia fuerit affecta; imo, si qua via posset humanitas Christi censi adoptata, id esset recipiendo prius natura gratiam habitua[m] ex solo Dei beneplacito, et non ex vi unionis. Nos enim ideo adoptamur, quia hoc modo per habitua[m] gratiam sanctificamur. Unde Scotus, argumento pressus, nihil respondet, sed ait: *Quære solutionem*; et aliquibus insolubile argumentum illud visum est contra prædictam rationem.

15. Ego vero existimo, rationem illam, bene intellectam, efficacem esse, et ex illa quam superius proposuimus manifeste sequi, et ita in dicto Concilio Francoford. sæpe insinuari. Nam, hoc ipso quod persona, quæ adoptatur in filium, est extranea, necessario fit ut prius saltem natura sit, quam sit filius adoptivus, quia adoptio additur illi ad modum accidentis extrinsecus illi advenientis, et ideo supponit subjectum circa quod fiat; et hoc modo est certa major propositio in dicta ratione sumpta. Quam insinuat Paulinus, in dicto libro Sacrosyllabo, col. 7, dicens: *Hoc ideo proposuimus, ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis.* Hanc autem conditionem ex eo inferit, quod filius adoptivus dicitur abusive et non essentialiter de eo, qui erat alienus generatione, nihilque ei ab adoptante debebatur, sed gratis ex indulgentia in filium admissus est. Minor etiam certissima est, quia imprimis in ea non est sermo de humanitate, sed de Christo ut homine; unde instantia, quæ fit de humanitate, quod secundum se prius natura sit quam sit grata, non est ad rem, quia, ut sæpe dixi, aliud est humanitas, aliud Christus ut homo; et licet humanitas prius natura sit quam sit grata, non tamen Christus etiam ut homo. Unde ulterius nihil obest quod gratia habitualis posterior natura insit humanitati, quam ipsa sit, imo et quam sit unita; quia, cum in ratione illa subsumitur Christum non prius natura esse hominem quam filium, non intelligimus esse filium per gratiam habitua[m], sed per gratiam unionis, quæ potentior est ad constituendum filium naturalem, quam sit gratia habitualis ad constituendum filium adoptivum, ut ostensum est.

16. Atque ita constat unde sit evidens dicta propositio subsumpta, quia Christus non prius natura est hic homo, quam gratia unionis ejus humanitati facta sit, nam per ipsam

met gratiam unionis hic homo consurgit; ergo non prius, etiam natura, est hic homo, quam sit Filius Dei; sicut enim homo non prius natura est gratus quam filius Dei adoptivus, ita Christus ut hic homo non prius natura est constitutus per gratiam unionis, quam sit Filius Dei naturalis. Est enim considerandum, cum dicitur filius naturalis non prius natura esse quam sit filius, intelligi quantum ad formam illam per quam filius constituitur, non quantum ad relationem secundum esse in ratione filii; hoc enim modo, etiam in humanis filius est prius natura secundum suum esse absolutum, quam referatur ad patrem. Et in filio adoptivo Dei prius natura intelligitur affici gratia infusa, ut est forma absoluta, quam quod ab illa resultet relatio, quidquid illa sit; solumque in divinis contingit, Filium non prius natura constitui quam referri, quia primo et per se constituitur proprietate relativa. Cum ergo dicitur filius adoptivus prius natura existere, quam sit filius, intelligitur non solum quantum ad relationem filii, sed quantum ad formam illam, sive intrinsecam, sive extrinsecam, per quam adoptatur; et e contrario, cum dicitur filius naturalis non prius natura existere quam sit filius, intelligitur quantum ad formam qua constituitur in illo esse, ad quod consequitur vel resultat relatio filii. Et hoc modo non prius natura Christus est hic homo, quam sit sanctus per ipsam unionem, et filius, etiam in quantum homo.

17. Quod si urgeas, quia ipsamet gratia unionis prius natura est in ratione subsistentiæ, et quasi formæ complementis quamdam substantiam, quam in ratione formæ sanctificantis, respondeo primo, hanc proprie non esse prioritatem naturæ, sed rationis tantum, præscindentis ea quæ in re nullo modo sunt divisa, sed tantum virtualiter seu eminenter; ubi autem non est distinctio ex natura rei, nec ordo realis secundum naturæ prioritatem esse potest. Secundo, etiam si mens præscindat, ipsa subsistentia divina ex se et intrinsece intelligitur esse forma sanctificans formaliter per se ipsam et inseparabiliter, ita ut licet concipiatur a nobis ille effectus tanquam secundarius, non tamen ut extrinsecus vel adventitius; et ideo hic homo Christus, ut per illam formam constitutus, non extrinsecus fit filius, sed intrinsecus et ex vi suæ constitutionis personalis; et hoc est esse filium naturalem. Quapropter instantia de gratia habituali, quia, scilicet, Christus homo prius natura est quam habeat hanc gratiam, nihil